



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Clericvs Romanus Contra Nimium Rigorem Munitus Duplici Libro

Quorum Uno Veteris Ecclesiae Severitatem, Altero Præsentis Ecclesiae
Benignitatem

[Veteris Ecclesiae Severitatem]

Francolini, Baldassare

Monachii, 1707

VD18 14592622-001

Calumnia X. Per vim fuêre Fideles veteris Ecclesiae ad publicam, &
severissimam pœnitentiam compulsi. Disp. X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41172

pœna peccati futura. Sicut enim si fascem per humeros adolescentis, quem non potest iulare posueris, necesse habet, ut aut fascem rejiciat, aut sub pondere confringatur, sic tibi, cui grave pondus pœnitentiae imponitur, necesse est, ut aut pœnitentiam tuam rejiciat, aut suscipiens, dum sufferre non potest, scandalizatus amplius peccet. Deinde etsi erramus in dicam pœnitentiam imponentes, nonne melius propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? Ubi enim Paterfamilias largus est, Dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus est, ut quid Sacerdos ejus austerus? Vis apparere Sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus.

CALUMNIA X.

Per vim fuere Fideles veteris Ecclesiae ad publicam, & severissimam Pœnitentiam compulsi.

DISPUTATIO X.

Doct. Rig.



D quidem primis Ecclesiae seculis factum fortasse non fuit, tunc tamen autem fuisse post sextum aut septimum seculum in tota, aut ferè tota Ecclesia, docet

Ecclesiastici Scriptores probatissimi, qui certe calumnias texere noluerunt.

Doct. Discr. Scriptores Ecclesiasticos legi omnes, aut pleròsque, id autem ab Ecclesia fieri unquam solitum, non legi. **I.**

D. R. At id expressè docent Conciliorum, veterumque Canonum Collectores. Et primum docent expressè, fuisse eos, qui moniti poenitentiam publicam recusassent, ad eam per excommunicationem compulsos, nec eam tantum, quæ sola fuit ordinaria & frequens per aliquot secula excommunicatio, sed eam, quæ ab omni humana consuetudine arcerentur, inque eas redigerentur angustias, in quibus vivere vix possent. Inter Capitula, quæ Carolo Magno iubente ex Capitulis Patris, & Patuli collecta sunt, est illud, quod habetur Capitularium lib. 7. cap. 331. & afferitur ab Itaco Lingonensi tit. 4. cap. 14. *Incessi dum in ipso detestando, atque nefando scelere manent, non inter Fideles Christianos, sed inter Gentiles, aut Catechumenos, vel Erenogenos habeantur, id est, cum Christianis non cibum sumant, non potum, non in eodem vasculo edant, aut bibant, sed soli hoc faciant: non osculentur, aut salutentur ab eis. Et si suis Sacerdotibus inobedientes extiterint, & à tam nefandissimo scelere segregari, atque ad*

publicam pœnitentiam redire noluerint, in
eos habeantur, qui spiritu periclitantur
mundo, vel etiam inter eos, de quibus ap-
p̄t̄as dicit, si te non audierit &c.

3. Theodolphus Aurelianensis Episc. in ep-
monitoria ad Presbyteros dicecesis suæ
26. Si quis perpetrato perjurio, aut quocumque
criminali peccato, timens Pœnitentia
grumnam, ad confessionem venire noluerit,
Ecclesia repellendus est, sive à Communionis
consortio Fidelium, ut nullus cum eo com-
neque bibat, neque oret, neque in suam
domum recipiat. Idem statuit Hincmarus
mensis Archiep. in capitulis, quæ obler-
da tradit Episcopatus sui Presbyteris, &
feruntur tom. 3. Conc. Gallix cap. 1. ad
eâ pœnâ reum mulctari debere, si ad pœni-
tiam venire noluerit infra quindecim dies
monitionem. Pœnitentiale Rom. tit. 1. c. 11.
post explicatam gravissimam pœnâ
xoricidæ infligendam, addit: *sin aliter fecerit*
& *Sancta Matris Ecclesiæ salubre confitenti-*
despexeris, ipse tibi sis iudex, & in laqueo
Diaboli, quo irretitus teneris, mantas,
quisque tuus sit super caput tuum, & sub
dissolubili anathemate permanes, donec
& *Sancta Ecclesia satisfacias.* Anno 844
regnante in Francia Carolomanno Ludovici
Balbi filio, in Conventu Bernensi ab Episcopo

& Abbatibus cap. 5. id statutum est de bo-
 norum alienorum Raptore, *Episcopus semel,*
& bis, atque tertio, si necesse fuerit, vocabit il-
lum sua admonitione per suum Presbyterum,
canonicè ad emendationem, & ad pœnitentiam,
ut DEO, & Ecclesiæ satisfaciat, quam laesit.
Si autem despexerit . . . feriat illum pastorali
virga, hoc est sententia excommunicationis,
& à communione Sanctæ Ecclesiæ, omniumque
Christianorum sit separatus usque ad congruam
satisfactionem & emendationem. Idem tri-
bus post annis minatur incestuosus impœniten-
tibus Concilium Coloniese. In Hispaniâ
Regnante Ferdinando I. in Concilio Coyacen-
si anno 1050. can. 4. statuitur similiter, ut
omnes Archidiaconi, & Presbyteri sicut sacri
canones præcipiunt, vocent ad pœnitentiam,
adulteros, incestuosos, sanguine mixtos, fures,
homicidas, maleficos &c. & si pœnitere nolue-
rint, separentur ab Ecclesiâ, & à communione.

Hac ratione primùm, nempe minis gra- 4.
 vissimæ pœnæ spiritualis, conjunctæ cum pœ-
 nâ temporali civilis segregationis à reliquis fi-
 delibus, compulsi olim fuere ad pœnitentiam,
 qui deliquerant. Sed his non satis permo-
 ventibus, ventum est ad vim manifestam, quam,
 quia inferre non poterant Episcopi, Ministro-
 rum ad id necessariorum copia destituti, Prin-
 cipum auxilium implorarunt, obtinueruntque.

Istius consuetudinis vestigia nonnulla deprehenduntur in legibus veterum Christianorum Imperatorum, & in quibusdam Episcoporum postulationibus. Verum ab anno 700. consuetudo ista fuit frequentissima, ejusque extant multa testimonia. Capitular. lib. 5. c. 146. *Quicumque propria uxore derelicta, vel sine culpa perfecta, aliam duxerit, armis depositis, publicam habeat penitentiam, & si contumax fuerit, non prebendatur à Comite, & ferro vinciatur, & in custodiam mittatur, donec res ad nostram misericordiam deducatur.* Carolus Calvus in Concilio Sueffionensi cap. 10. act. 7. tom. 3. Concilio Gallia anno 853. hanc legem condit, vel potius renovat. *Missi nostri omnibus Reipublicis Ministris renuncient, ut Comes, vel Reipublici Ministri, simul cum Episcopo uniuscujusque Parochia, sint in Ministerijs illorum, quando idem Episcopus suam Parochiam circumspexit, cum Episcopus eis notum fecerit. Et quos per excommunicationem Episcopus adducere non poterit, ipsi regia auctoritate & potestate ad penitentiam, vel rationem, aut satisfactionem adducant.* Concilium Moguntinum sub Rabano can. 28. *Ut Episcopi incestuosos penitus investigare studeant, omnino decrevimus. Qui si penitere noluerint, ab Ecclesia expellantur. Quod si Sacerdotum admonitionibus noluerint aurem accommodare*

volentes in pristinis perdurare criminibus, oportet eos per secularis potentia disciplinam à tam
 prava consuetudine coërceri. Similis canon
 legitur in Concilio Turonensi sub Carolo cap.
 4. lib. 2. Capitul. cap. 43. Burcardo lib. 7. cap.
 19. Vormatiensi Concilio cap. 79. Quod in
 his locis contra incestuosos, contra omnes per-
 dicos statuitur in Concilio Sueffionensi cap. 12.
 & apud Juonem part. 9. cap. 65. ubi sic. *Ob-*
tentum est etiam à Devotissimo Principe, ut in-
casti, & quilibet alij perditij, examen Episcopo-
rum refugientes, per Judices publicos ad eorum
presentiam deducantur, ne alterius illecebram
peccati nutriat impunitas vitiorum. Sed nihil
 legi potest illustrius in hanc rem, lege Arnulfi
 Imperatoris, quæ refertur can. 3. Concilii Tri-
 burientis, quod celebratum est anno 895. *Id-*
circo non potentiam ostendentes, sed justitiam
exhibentes, precipimus omnibus regni nostri Co-
munitibus, postquam ab Episcopis anathemate ex-
communicationis percelluntur, & tamen ad pœ-
nitendum non inclinantur, ut ab ipsis compre-
hendantur, & ante nos perferantur, ut qui di-
vina judicia non verentur, humanâ sententiâ
seriantur &c. Si tam rebelles fuerint, ut com-
prehendentibus repugnare studuerint, & in tali
temeritate interfecti fuerint, judicio Episcopo-
rum intersectoribus nulla imponatur pœnitentia.
 Comprehensi autem à Regiis Ministris, carcere
 P 5 clau-

clauderentur, & subinde vapulabant, si
 fertim essent Clerici, Monachi, aut servi;
 quia non erant ingenui, illi verò, quia magis
 supplicio digni censebantur, nec habendi ut
 ingenui, postquam Ecclesiasticum principem
 ad quem erant euecti, suis moribus debone-
 rant. Capitularium lib. 7. capitulo 311. *Statuimus, ut quisquis servorum Dei, vel an-
 rum Christi in crimen fornicationis lapsus fuerit,
 quod in carcere pœnitentiam faciat in pane
 aqua, & si ordinatus Presbyter sit, duos annos
 carcere permaneat, & ante scorticatus &
 gellatus videatur, & Episcopus adaugeat.
 autem Clericus vel Monachus in hoc peccato
 incidit, post tertiam verberationem, in car-
 cerem missus, vertentem annum ibi pœnitentiam
 agat. Similiter & Nonnates velata eadem pœ-
 nitentiâ teneantur.* Hoc autem statutum
 rat in Synodo Liptinensi celebratâ ann. 742.
 inde sumptum, ut patet ex lib. 5. capitul. cap. 1.
 Libro autem 7. cap. 330. & Isaacus Lingonia-
 sis tit. 4. cap. 13. *Si autem servus vel Ecclesi-
 sticus fuerit, publicè flagelletur, ac decalvatus.
 & juxta proprij Episcopi jussionem, pœnitentiam
 publicè & canonicè gerat.* Nempe ut dicitur
 in capitularibus Caroli Calvi, propter merita
 aliorum, & ut vel inuiti, pœnitentiam corpora-
 liter, & temporaliter agant, ne aternaliter po-
 7. reant. Reliqui verò, nempe sæculares, mul-

jejunio & oratione purgabantur, unde Gregorius II. ad Leonem Mauricum Imperatorem scribit in hæc verba. *Vides Imperatorum disfermen. Si quispiam te offenderit, domum ejus publicas, & spoliis, solam illi vitam relinquens, tantamque illum vel suspendio necas, vel capite truncas, vel relegas, Pontifices non ita, sed ubi peccaverit quis, & confessus fuerit, suspendij, & amputationis loco, Evangelium & crucem ejus cervicibus circumponunt, eumque tanquam in carcere, in secretaria, sacrorumque vasorum araria conjiciunt, in Ecclesia Diaconia, & in castrubumena ablegant, ac visceribus eorum: jejunium, oculisque vigiliis, & laudationem oris ejus indicunt: cumque egregie castigarunt, probèque fame afflixerint, tum pretiosum illi Domini corpus impartunt, & sancto illum Sanguine potant; & cum illum vas electionis restiterint, ac immunem peccati, sic ad Dominum purum, infontemque transmittunt. Hæc 8.*

Penitentium incarcerationio fiebat præsertim initio Quadragesimæ. Hinc veterum librorum Penitentialium, seu Sacramentariorum commune illud exordium, *Ordo agentibus publicans penitentiam. Suscipis eum quartâ feriâ mane in capite Quadragesimæ, & cooperis eum cilicio, oras pro eo, & includis usque ad Cenam Domini.*

Diutiùs retineri, asperiusque tractari voluit 9.

luit Basilius, præsertim Clericum, Monachum
 que obscenâ aliquâ levitate sordidulum man-
 dans, ut refert Petrus Damiani in suo Gomo-
 rhiano, & Ivo part. 9. Decreti cap. 93. *Ut pu-
 blicè verberetur, & coronam amittat, de calu-
 niisque turpiter sputamenti obliniatur in suis
 vinculisque arctatus ferreis, carcerali sex men-
 sibus angustia maceretur, & triduo per tres
 modas singulas ex pane hordeaceo ad vesperum
 reficiatur. Post hæc alius sex mensibus sub
 minoris spiritualis custodia in segregata curia
 degens, operi manuum, & orationi sit intentus
 vigiliis, & orationibus subiectus, & sub cubiliis
 semper duorum spiritualium fratrum ambulans,
 nullâ pravâ loquutione, vel concilio deum
 Juvenibus conjungendus.*

10. Quia verò, quamvis carcere tandem sol-
 verentur poenitentes, non solvebantur legibus
 poenitentia, sed eas per aliquot annos cultu-
 dire jubebantur, quod aliqui facere detrecta-
 bant, cautum à Patribus Hispanis Gallisque
 fuit in Concilio Toletano 4. *Ut Quicumque
 secularibus accipientes poenitentiam, toro-
 runt se, & rursus pravaricantes, Laici effecti
 sunt, comprehensi ab Episcopo suo, ad poeniten-
 tiam, ex qua recesserunt, revocentur.*

11. His tam multis, plurium sæculorum, om-
 niumque regionum testimoniis constat, non
 fuisse à nobis per calumniam veteri Ecclesie at-
 tributum,

tributum, quòd Fideles non solùm adhortando impulerit, sed cogendo perduxerit ad publicam, eamque valde asperam pœnitentiam, quo satis ostenditur, falsum esse, quòd à te, & à reliquis benignis Doctoribus asseritur, voluntariam debere esse, & maximè liberam pœnitentiam, & vel non esse imponendas graviores pœnitentias, vel sinè præcepto ineluctabili, ne delicatulis vis ulla inferatur, & fiat odiosa pœnitentia.

D. D. Eruditè quidem, nisi fortè tota ista 12.
 hac Morini laus sit, & eruditio: ego verò ingrates tibi gratias ago, quòd vel tuo, vel alieno labore, ad eò luculentè probaveris, quòd non semel innui, & alibi ostendam, nempe per veteres Canones pœnitentiales statui pœnas, quarum pleræque infligebantur in foro externo, cuius certè erat sententiam excommunicationis ferre, carceri mancipare, flagellis cadere &c. non igitur evicisti, quòd debebas, nempe vim factam fuisse Fidelibus confitentibus in foro interno, & Sacramentali (de quo in his disputationibus agimus) ut publicas, easque tam asperas pœnitentias subirent. Id ego tantùm nego, quòd vos non semel asseritis, ut Confessarii, quorum certè forum internum est, fortes sint in imponendis gravibus pœnitentiis, & utantur vi saltem præcepti ineluctabilis, sententiàmque non mutant, quamvis Pœnitens imbecillis pœnam deprecetur. Hanc ego fuisse veteris Ecclesie

clesiæ praxim, nego, ut ut severa ea praxis fuerit, quam eadem in curandis quidem animarum morbis, sed extra forum secretæ Confessionis per aliquot sæcula custodivit.

13. Quamvis nec ista tam severa fuit, quam eam fuisse deprædicas. Et quidem S. Leo interrogatus à Rultico Episcopo Narbonensi, quæ ratione esset agendum cum iis, qui publicam penitentiam agere differunt, non rescribit, ut esse abscindendos à Fidelium cætu, aut carere mancipandos, sed esse tolerandos, benignè ipsam eorum dilationem interpretans. *Dilatatio hæc (inquit, & non dissimulatio, ut perperam habent exemplaria) potest non de contemptu remedij, sed de metu gravius delinquendi, illius penitentia, quæ dilata est, cum studiosius persequi fuerit, non negetur, ut quoquo modo, ad evadendam gentiæ medicinam, anima vulnerata perveniat.*

14. Sed re Christianâ post Leonem non per se inclinâtâ, & jam nimis multis Pastorum patientiâ abutentibus, cum monitio spernitur, igni ferrôque tentanda curatio fuit, & gradus anathematum vibrandus. Id autem rigore tribuendum non est, tum quia paucis ea visum illata, nempe atrocius, aut cum majori scandalo peccantibus, tum quia inutilia fuerant mitiora remedia, ex qua ratione, etiam modò, qui in Pæschate communicare detrectant, anathematizantur.

Ne

15.
 Nec rigidæ violentæque habendæ sunt illæ, quas recitasti, de pervicacibus comprehendendis, Episcopo tradendis, in carcerem amandandis, cædendisque, Imperatorum constitutiones. Eos enim eâ censura complectitur, quos propter crimina, quæ commiserant, potuissent Imperatores, aut morti, aut carceri perpetuo adjudicare: pro ea autem pietate, quâ præstabant, foro eos Episcopali tradebant, ut punirentur quidem, sed longè mitiùs, quàm sui fori leges ferrent, tantòque mitiùs, quantò citior esset, ac testatior emendatio. Ex benignitate igitur, non ex rigore, profecta fuit ea legum Imperialium, quas recitasti, in favorem pœnitentiæ comminatio.

Fateor tamen, ab aliquibus Episcopis Gallicis, Hispanisque fuisse hujusmodi Pœnitentium custodiæ curæque traditos, severiùs castigandos, sed universæ Ecclesiæ ea severitas non fuit, nec ita utilis, ut alibi ostendam, nec diù viguit mos ille compellendi vi satellitum armatorum ad pœnitentiam.

16.
 Diuturnior, ac tolerabilior fuit in Ecclesia mos ille colligendi, claudendique initio Quadragesimæ Pœnitentes, ut ex Ritualibus plurimum sæculorum libris palam fit, & ostenditur à Morino lib. 5. cap. 15. Colligebantur autem non vi Satellitum, sed amore pœnitentiæ, non impellente minaci Principum imperio, sed invitau-

vitantium Pastorum consilio, aut simplici
 cepto. Hujus retrusionis Pœnitentium
capite jejuni Quadragesimalis mentionem faciunt
 quamplures veteris Ecclesiæ Sacramentarii,
 Pœnitentiales libri, nec tamen quidquam
 habent, unde colligere possimus, per vim fuisse
 linquentes in eam custodiam collectos. Quibus
 cuique spontaneum eum secessum fuisse
 docent, dum Fideles ad eam pœnitentiam
 tatos dicunt, non autem compulsos, aut
 ctos. Alcuinus Discipulus Ecberti Eboracensis
 sis Archiepiscopi, hominis doctissimi, & Ec-
 clasticæ disciplinæ amantissimi, in libro de
 vinis Officiis eo longo capite cui titulus
capite jejuni docet, primo loco debere tunc
 dotem **ADMONERE** omnes Christianos
 ad Confessionem, & pœnitentiam eo tempore
 accedant, & in Cœna Domini ad reconcilia-
 nem. Idipsum monet Ordo Romanus allatus
 Morino lib. 4. cap. 15. Sic enim habet.
primis PRÆMONERE debet Sacerdos omnes
Christianos, ex sacris Scripturarum testi-
moniis, quatenus in capite jejuni, ad veram Con-
fessionem, veramque pœnitentiam festinate
accedant. Ut moniti, & non coacti ad Ecclesiam
pergebant eâ die, quotquot agere pœnitentiam
volebant, ita voluntariè, nullaque vi coacti
cludebantur in loco ad eum secessum destinato
ut voluntaria est etiam modò aliquorum

vacare

vacare cupientium, per aliquot dies in do-
 mo religiosâ clausurâ. Hinc prædictum lo-
 cum nunquam carcerem vocant prædicti Ritua-
 les libri, nec carcer erat, *sed tanquam carcer*, ut
 optimè Gregorius II, paulò ante laudatus: erat
 enim locus secretior, quale erat ærarium Tem-
 pli, aut aula, in qua causæ sacræ tractabantur à
 Sacerdotibus, & negotia ad Ecclesiam spectan-
 tia à Diaconis, inde appellata secretarium, quò
 etiam amandabantur per aliquot dies ante Ba-
 ptisum Cathecumeni, ut constat ex historia
 sacra, & innuitur à prædicto Gregorio asseren-
 te, consuevisse Ecclesiam ablegare Pœnitentes
 in Diaconia, & Catechumena, quibus in locis
 clausi Pœnitentes, haud quaquam vapulabant,
 sed ea præstare jubebantur, quæ recensentur
 ab eodem Gregorio, nempe jejunia, vigiliis,
 precibusque, quibus ipsis exercitationibus per de-
 cem dies vacant, qui sacræ Militiæ sunt nomen
 daturi, & vulgò dicuntur facere exercitia spi-
 ritualia. Quorum quia mentio incidit, velim, **18.**
 expendas tecum, an prudens ea lex esset, quâ co-
 gèrentur Fideles secedere in locum secretum per
 decem dies, quoties pro commissis gravibus
 culpis Sacramentum Pœnitentiæ sumere medi-
 tantur, ut quicumque sacri Ordinis Sacramen-
 tum sumere cogitant, aut emittere professio-
 nem Religiosam, eo decem dierum secessu pur-
 gare prius animum, & excolere compelluntur.

Q

Quis

Quis non videt, hanc fore legem perniciosam
 nec institutioni sacramenti Pœnitentiæ, quod
 longè diversum à Sacramento Ordinis, cum
 cuique necessarium, & debeat esse frequens
 mæ remedium, fore satis consentaneam? Ne
 igitur satis consultè in secretæ Pœnitentiæ
 disciplinam transferuntur ea, quæ spectabant
 publicam pœnitentiam, qualia sunt ea, quæ
 ipse superius produxisti, quam publicam pœ-
 nitentiam fuisse olim, veluti Professionem
 religiosam, & Pœnitentis consecrationem, præter
 omnes. Fuerit ergo per vim olim impositam
 aliquibus Regionibus publica pœnitentia, quæ
 semel tantum toto vitæ tempore agebatur, quod
 inde tamen laudabile sit, quod Confessarius
 secretæ Pœnitentiæ minister, vim ullam im-
 rat in hoc sacramento, easque Pœnitentem
 gat accipere, & exequi pœnitentias, quæ
 fuerat sunt, aut nimis ingrata, quæ indigent
 studio nimis operoso, quæ anxium, & dubium
 tem animum perturbant magis, quas de-
 mum sibi nolit imponi, qui eas
 imponit.

